



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthvmæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 3. Vtrum ad beatitudinem requiratur securitas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

ARTICVLVS II.

*Vtrum alius aliopossit esse beator?*

3 **C**onclusio est affirmans: quia fieri potest vt alius alio clariùs Deum videat, eoq̄ fruatur perfectiùs: atq̄ beatitudo formalis consistit in visione & fruitione: ergo potest esse in alio minor. De hoc factis multa in 1. p. q. 12.

ARTICVLVS III.

*Vtrum aliquis in hac vita possit esse beatus?*

4 **C**onclusio est, verà seu essentiali beatitudine neminem in hac vita beatum esse posse. Ratio est, quia in hac vita nemo Deum clarè videre potest: vt multis locis docet Scriptura. Intellige hæc, secundum legem statutam. Nam per absolutam Dei potentiam fieri potest vt quis in vita mortali beatus sit: exemplum habemus in humanitate Christi.

ARTICVLVS IV.

*Vtrum beatitudo possit amitti?*

5 **C**onclusio est, essentialem beatitudinē amitti non posse. Est articulus fidei. Credimus enim vitam æternam. Idem patet ex plurimis Scripturæ locis, quibus docemur præmia iustorum & supplicia impiorum fore perpetua; vt Matth. 25. Psalm. 83. & alibi. Item vbi cælestis hæreditas dicitur *in corruptibilis & immarcescibilis*; vt 1. Petri c. 1.

DVBIVM I.

*Vtrum beatitudo suapte naturâ sit incorruptibilis, An solùm supernaturalis Dei conseruatione?*

6 **R**espondeo, Omnis sententijs, corruptibile & incorruptibile aliquid dici respectu causæ quæ possit corrumpere vel non corrumpere. Causa verò ista esse potest vel Deus ipse, vel aliqua creatura.

*Nihil incorruptibile respectu Dei.*

Itaque si beatitudo hominis comparatur, ad Deum, sic haud dubiè est corruptibilis; sicut & omnis creatura. Quomodo Patres sapè dicunt nullam creaturam naturâ suâ esse incorruptibilem, sed ex voluntate Dei. Ratio est, quia assidue pendet ex libero Dei influxu; sicut pondus quod in aère ab aliquo sustinetur; vel sicut imago in speculo ab obiecto relucens. Suppositâ tamen diuinâ promissione quâ promissit beatitudinem fore æternam, etiam à Deo nequit interimi vel auferri: quia seipsum negare non potest.

*Beatitudo est incorruptibilis comparata ad res creatas.*

Si verò beatitudo comparatur ad res creatas, sic naturâ suâ est incorruptibilis: talis enim est naturæ vt à nulla creatura possit impediri vel aboleri.

Probatur, Quia posito lumine gloriæ, & concursu Dei huic lumini & intellectui debito, necess-

ariò sequitur visio. Nam essentia diuina est intemè præsens menti; vnde mens non potest se ab ea auertere, neque iudicium visioni contrarium concipere. Positâ autem visione, necessariò sequuntur ceteri actus; scilicet amor & gaudium. Tam igitur est incorruptibilis beatitudo tamq̄ solida, quàm substantia vel cælorum vel Angelorum. Verùm incorruptibilitas gaudij & amoris, pendet ex incorruptibilitate visionis. Hæc autem pendet ex firmitate luminis quod contrarium non habet, & diuini concursus: in quibus duobus est totum fundamentum æternitatis beatæ vitæ.

DVBIVM II.

*Quomodo verum sit quod ait D. Thomas in Corpore De ratione Beatitudinis esse, vt omne desiderium hominis impleat?*

7 **V**idetur enim falsum. Nam Christus verè beatus fuit in hac vita: & tamen non omne eius desiderium erat impletum; & animæ Sanctorum beatæ sunt, tamen desiderant corporum resurrectionem.

Respondeo, Ad rationem beatitudinis non requiri vt actu impleat omne desiderium, sed vt ex se sit sufficiens implere, sic vt non restet vlla molestia in animo ex absentia rei desideratæ. Qui enim tanto bono fruatur, facillè fert absentiam aliorum bonorum, quæ eius comparatione quasi nihil sunt. Quòd autem in Christo Domino non omnis molestia exclusâ fuerit, miraculo factum est, vt posset pro nobis pati. Animæ Sanctorum etsi desiderant sua corpora, non tamen ex dilatione afficiuntur molestiâ. His adde, non esse necessarium vt essentialis beatitudo per se ipsam formaliter omne desiderium omnino expleat; sufficit vt id faciat vel per se, vel per ea bona quæ secum trahit, quæque ex illa pendent.

*Beatitudo debet esse sufficiens implere omne desiderium.*

DVBIVM III.

*Vtrum ad Beatitudinem requiratur securitas?*

8 **V**idetur non requiri. Primò, Quia eiusdem rationis est visio perpetuò durans, & ea quæ solùm durat vnum diem: ergo ea quæ diem durat tam benè faciet beatum, saltem pro illo die, quàm perpetua faciat beatum in perpetuum.

*Argumenta pro parte negatiua.*

Secundò, Ad rationem beatitudinis non requiritur exclusio omnis tristitiæ; vt patet in Christo Domino: ergo etiam non requiritur vt omnis timor beatitudinis amittendæ excludatur.

Tertiò, Si securitas requiritur ad beatitudinem: ergo visio & fruitio non sufficient.

Respondeo, Requiritur securitatem, sicut rectè hic docet D. Thomas. Quod vt probetur.

Nota, Securitatem veram nihil esse aliud quàm absentiam timoris de bono amittendo, vel malo incurrendo, natam ex certa cognitione rei non euenturæ. Dico ex certa cognitione; quia si cognitio sit incerta, erit non vera, sed fallax securitas.

*Securitas quid.*

Nunc probatur Responsio: Primò, Quia cum timore amittendi tanti boni, non potest quies animi consistere; sed necesse est summa anxietate affici: ergo ad beatitudinem requiritur huius timoris

*moris*

moris vacuitas: ergo securitas, quæ nihil est aliud, quàm timoris vacuitas.

Antecedens probatur; Nam qui magnum ali- quod bonum obtinet, si metuit hoc amittere, quò plùs amat, hoc maiore anxietate afficitur ex timore amittendi: Atqui beati summè amant visionem & fruitionem Dei: ergo maximà molestià afficientur timore eius amittendi; cum quà molestià beatitudo quæ omnem molestiam excludere potest, consistere nequit.

Secundò, Id quod summè affligit damnatos, & maximè efficit miseros, est æternitas supplicij, quatenus vident se numquam posse euadere: ergo id quod maximè gaudio afficit beatos, est æternitas præmij, quatenus vident se numquam tantum bonum posse amittere; qua in re sita est illorum securitas. Ergo securitas omnino necessaria est ad beatitudinem.

Ad Primam Rationem, Respondeo: Etsi visio vnus diei sit eiusdem naturæ atque visio perpetua; tamen in infinitum differunt secundum æstimationem moralem; ac proinde in ordine ad voluntatè, vt sunt bona appetibilia. Itaque visio vnus diei non potest hominem absolutè facere beatum, ne ad vnum quidem diem.

Dices, quid si ille ignoret visionem fore tam breuem, eritne beatus?

Respondeo, ille vel simul putabit fore æternam: sicque decipietur in re maxima; & gaudium ipsius præcipuum fundatum erit in falsa opinione: quare ille non erit beatus. Vel nihil in alterutram partè cogitabit (quod tamen fieri nequit nisi diuinitus impediatur): & sic quoque; nõ erit propriè beatus vel ad vnum diem; quia non apprehendetur æternitas boni, quæ præcipuum gaudium affert. Deinde, visio illa secundum se non est talis vt possit omnem mærorem excludere si eius conditio cognoscatur.

Ad Secundam Rationem, Nego Consequentiam. Etsi enim ratio beatitudinis non postulet vt actu omnem mærorem excludat: tamen postulat vt ex se sit sufficiens excludere omnè mærorem, adeo vt re ipsa id præstitura sit, nisi diuinitus impediatur. Est enim tantum bonum, vt carentia aliorum bonorum nihili æstimetur, modò ipsa retineatur. Visio verò Dei quæ solùm ad tempus est duratura, vel quam is qui videt, timet amittere; non est sufficiens vt excludat omnem mærorem: quia non potest excludere mærorem qui ex amissione ipsius impendente concipitur: tantum enim malum æstimatur amissio rei, quantum bonum putatur eius possessio. Quare cum possessionem Dei æstimet summum bonum, eius amissionem censet summum malum; ac proinde necessariò est anxius & mœstus.

Ad Tertiam, Nego Consequentiam; Quia securitas nõ est aliquis actus distinctus à visione & fruitione: sed ex parte subiecti solùm est vacuitas timoris ex certà notitià beatitudinis nõ amittendæ proueniens, quæ notitià habetur per visionem, estque solùm conditio requisita. Ex parte autem beatitudinis, nihil ponit nisi durationem æternam, quam visio & fruitio naturà suà postulant, cum hæc duratio non distinguatur ab illorum actuum existentia nisi ratione.

ARTICVLVS V.

Vtrum homo per sua naturalia possit acquirere beatitudinem?

Conclusio est, Imperfectam beatitudinem, qualis est huius vitæ, hominem posse acquirere; non autem perfectam.

Nota. Si loquamur de statu naturæ lapsæ, hominem nullam omnino beatitudinem per solas naturæ vires posse comparare, neque perfectam, neque imperfectam. Ratio est; Quia neque à peccatis quæ naturam rationalem dehonstant, neque ab alijs miserijs innumeris seipsum immunem præstare potest. Cognitio quoque quam de Deo rebusque diuinis potest consequi, est imperfectissima, vitæ obscura, & maxima ex parte ambigua.

Si verò loquamur de statu nudæ naturæ in qua Deus hominem condere potuisset, probabile est potuisse eum in hoc statu per vires naturæ aliquam imperfectam beatitudinem consequi. Nam omnino credibile est in eo statu futurum fuisse aliquod præminum bonorum operum, & aliquam Dei prouidentiam circa hominem, quæ sic gubernatus fuisset, vt posset hoc præmium mereri & consequi.

Aduerte tamen, illum neque hac imperfecta beatitudine fruiturum fuisse, nisi Deus aliqua supra naturæ conditionem circa ipsum operaretur. Ratio est, quia cum hæc beatitudo sit vltima in eo statu, requirit æternitatem & vacuitatem miseriarum huius vitæ: quorum neutrum poterat homo cõsequi sine supernaturali Dei operatione. Nam naturali necessitate debebat mori; mortuus autem non poterat resurgere, neque post resurrectionem in æternum viuere absque supernaturali Dei operatione & protectione.

Si dicas, non fore Resurrectionem in eo statu, ac proinde non fore opus supernaturali operatione Dei ad hanc beatitudinem.

Respondeo, hoc parum viseri credibile; Nam anima naturaliter postulat & desiderat vniri corpori, neque potest absq; hac vnione habere suum naturalem modum cognoscendi qui est per co-operationem sensuum & phantasie. Atqui sine naturali modo cognoscendi non potest habere beatitudinem naturalem. Adde, illo modo non hominem, sed animam dumtaxat fore beandam.

ARTICVLVS VI.

Vide D. Thomam.

ARTICVLVS VII.

Pertinet ad materiam de gratia.

ARTICVLVS VIII.

Patet ex Dictis 1. p. q. 12.

QVÆ-